Furta. nec occultos phebo sociasse amores.
Namq; ut passa deum nemei ad fluminis undam.
Bis quinos plena cum fronte resumeret orbes
Cynthia. sidereum latone feta nepotem
Edidit. ac pene metuens. neq; enim ille coactis
Donasset thalamis ueniam pater. auia rura
Eligit. ac natum septa inter ouilia furtim
Montiuago pecoris custodi mandat alendum.
Non tibi digna puer generis cunabula tanti
Gramineos dedit herba toros. et uimine querno
Texta domus. clausa arbutei sub cortice libri
Membra tepent. suadetq; leues caua fistula somnos.
Et pecori commune solum. sed fata nec illum
Concessere larem. uiridi nam cespite terre
Proiectum temere. et patulo celum ore trahentem.
Dira canum rabies morsu depasta cruento
Disicit. hic uero attonitas ut nuntius aures
Matris adit. pulsi ex animo genitor q; pudor q;
Et metus. ipsa ultro seuis plangoribus amens
Tecta replet. uacuum q; ferens uelamine pectus
Occurrit confessa patri. nec motus. et atro
Imperat infandum cupientem occumbere leto.
Sero memor thalami meste solatia morti
Phebe paras monstrum infandis acheronte sub imo
Conceptum eumenidum thalamis. cui uirginis ora
Pectora q; eternum stridens a uertice surgit
Et ferrugineam frontem discriminat anguis.
Hec tam dira lues nocturno squalida passu
Illabens thalamis. animas q; a stirpe recentes
Abripit altricum gremiis. morsu q; cruento
Deuescitur. et multum patrio pinguescere luctu.
Haut tulit armorum prestans animi q; chorebus.
Seq; ultro lectis iuuenum qui robore primi
Famam posthabita faciles extendere uita
Obtulit. illa nouos ibat populanda penates
Portarum in biuio. lateri duo corpora paruum
Dependent. et adunca manus uitalibus heret.
Ferrati q; ungues tenero sub corde tepescunt.
Obuius huic latus omne uirum stipante corebo
It iuuenis. ferrum q; ingens sub pectore diro
Condidit. atq; imas anime mucrone corusco
Scrutatur latebras. tandem sua monstra profundo
Reddit habere ioui. iuuat ire et uisere iuxta
Liuentes in morte oculos. uteri q; nefandam
Proluuiem. et crasso squalentia uiscera tabo.
Qua nostre cecidere anime. stupet inacha pubes.
Magna q; post lacrimas etiamnum gaudia pallent.
Hi trabibus duris solatia uana dolori
Proterere exanimes artus. asprisq; molarum
Deculcare genis. nequit iram explere potestas.
Illam et nocturno circum stridore uolantes
Impaste fugistis aues. rabidam q; canum uim
Ora q; sicca ferunt trepidorum inhiasse luporum.